

Documenta

Litterae Apostolicae quibus Beatus Hroznata, Martyr, O.Praem. apud Deum Dioecesis Pilsiniensis confirmatur

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Exemplo intercessionequē martyrum qui «vicerunt propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui» (Apc 12, 11) communitas christifidelium aedificatur. Ideo recte sedes Pilsiniensis tamquam fundamentum vivum habet beatum Hroznatam, martyrem, cuius corpus in ecclesia abbatali Teplensi religiose colitur. Quam ob rem Venerabilis Frater Franciscus Radkovský, Episcopus Pilsiniensis, communia vota excipiens, electionem beati Hroznatae in Patronum apud Deum memoratae dioecesis peregit rite, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos quidem enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatum Hroznatam, martyrem, Patronum apud Deum dioecesis Pilsiniensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae Normis de Patronis constituendis nec non Instructione «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum propriis recognoscendis», n. 30, indicantur. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Ianuarii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

† ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco † Sigilli

In Secret. Status tab., n. 404.131

Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, An. et vol. LXXXIX (4 Iulii 1997) n. 7, p. 445.